

modo intelligendum? — Nec urget, quod quilibet possit suo juri renunciare, c. *Si diligent, de Foro compet.* Nam regula ista est intelligenda, dummodo id fiat sine præjudicio alterius: sicque non habet locum in renuntiationem beneficii ecclesiastici; quia hæc tenderet in præjudicium Ecclesiæ, si fieret absque auctoritate, seu acceptione superioris, ex causa rationabili impertita.

16. *Papa potest renunciare Papatui absque consensu cardinalium.* — Resp. II. Nihilominus data conclusio quasdam patitur limitationes. Nam fallit primo in Summo Pontifice, utpote qui in terris superiorem non habet, et tamen libere renunciare potest Papatui cap. 1. h. t. in 6. Neque enim necesse est, ut is id præstet coram cardinalibus, talem renuntiationem acceptantibus; cum libere (ut ibidem dicitur) possit resignare, adeoque sine consensu cujusquam alterius: quinimo sufficit simplex declaratio suæ voluntatis, qua proficitur, sponte se renunciare Papatui. Barbosa, lib. 1. *Jur. Eccles. univ.* cap. II. n. 213. citans alios.

17. *Qui plenum jus in beneficio nondum habet, libere huic renuntiat absque superioris consensu.* — Fallit deinde eadem conclusio in eo qui plenum jus in beneficio necdum habet, ut puta, qui est tantum electus, et necdum confirmatus: nam libere renuntiat absque superioris consensu, ut dictum est supra tit. 6. *de Electione.* § 1. n. 34. Et ratio est: quia Ecclesiæ respectu ipsius necdum fuit jus quæsitum: istud enim acquiritur primum per confirmationem, quæ ratum facit vinculum matrimonii spiritualis inter prælatum et Ecclesiam, cap. ult. *de Translat. episc.* Neque hoc ipsum procedit in renuntiatione litterarum apostolicarum ad beneficia, quibus tribuitur jus ad rem respectu horum; nam hæc litteris, ob rationem jam allegatam, potest impetrans libere renunciare absque alia superioris auctoritate, arg. c. *Ad audientiam.* 31. *de Rescriptis.* et c. *Sane.* 7. h. t. Garcias, part. XI. *de Beneficiis,* cap. III. n. 247 allegans communem.

18. *An idem dicendum in beneficio litigioso?* — Fallit insuper in resignatione beneficii litigiosi: potest enim huic renuntari absque superioris auctoritate, etiam post factam ejus revocationem, quando lis anceps est, et jus vere dubium. Abbas, c. *Quod in dubiis.* n. 4. h. t.; Garcias, loc. cit., n. 249. citans alios. Ratio est: tum, quia tunc cessat præjudicium Ecclesiæ, atque superioris, cum nondum

constat litigantem habere jus in re, et incertus sit eventus litis tum, quia renuntiatio, per quam receditur a lite, favorabilis est; ac proinde facilius admittenda.

19. *An idem dicendum in beneficio litigioso?* — Fatendum tamen non deesse doctores oppositum tenentes, eo quod hæc limitatio ex nullo textu juris ostendi possit; sicque standum videatur generali regulæ, quod resignatio beneficii jam acquisiti, absque superioris auctoritate fieri non valeat. Et huic sententiæ favet ipsemet Abbas in c. *Super eo,* n. 4. *de Transactionib.,* eamque tenet Layman in c. *Admonet.* n. 2. h. t. post Joan. Ananiam, c. *Quod in dubiis,* n. 48. eod.; Pirhing, n. 58. eod. Hanc posteriorem sententiam magis probabilem existimans: quæ proin veluti securior in praxi merito observatur, quantum ad hoc, ut superioris etiam consensus requiratur.

20. *Aut si clericus velit ingredi religionem?* — Fallit tandem data conclusio in clericis beneficiariis, ex divina inspiratione volentibus ingredi religionem ab Ecclesia approbatam. Quod ut melius intelligatur;

21. *Episcopus nequit renunciare episcopatum, ex causa ingrediendi religionem.* — Quæritur III. Utrum clericus beneficiarius possit libere renunciare beneficio ecclesiastico ex causa ingrediendi religionem? Resp. I. Nequit episcopus, etiam causa humilitatis, vel sub spe melioris vitæ, sponsam suam Ecclesiam deserere, atque ad religionem transire sine consensu summi Pontificis. Ita habetur c. *Nisi eam pridem,* 10. h. t. ubi Papa archiepiscopo Calaritano, humiliter cessionem postulanti, ut monachus fieret, non esse favendum censuit. Ratio est: tum quia ob privatum commodum non debet, nec potest episcopus sponsam suam Ecclesiam deserere utpote cui spiritualis vinculo conjugii dignoscitur esse alligatus; prout notavit Pontifex ibid. § *Verum si,* juncto c. *Inter corporalia.* et cap. ult. *de Translat. episc.* ubi quoque vinculum istud spirituale, sola auctoritate Romani Pontificis dissolvi posse, perhibetur; tum quia episcopi sunt in statu perfectionis, quatenus ex divina dilectione se obligant ad subeundam curam pastorem, et insistentem salutem proximorum exemplo Christi, et sanctorum Apostolorum: unde, quamdiu possunt, tenentur commissis sibi ovibus providere; ac neque propter divinæ contemplationis quietem, neque propter quæcumque adversa vitanda, seu luera captanda, possunt earum pastorem curam deserere: nam, ut

dicitur Joan. cap. XII. *Bonus pastor ponit animam suam pro ovibus suis.* « Unde facilius indulgetur, ut ascendat monachus ad præsulatum, quam præsul ad monachatum descendat, » per textum in cit. c. *Nisi cum pridem.* § *Nec putes.* h. t. ac fusius tradit divus Thomas 2. 2. quæst. 183. art. 4. et communis.

22. *Bene tamen inferior clericus suo beneficiario.* — Resp. II. Nihilominus inferiores beneficiarii, utpote qui non tam arcto vinculo spiritualis conjugii suis Ecclesiis, sive beneficiis alligantur, possunt libere ad religionem ab Ecclesia approbatam transire, petita tantum, licet non obtenta licentia sui ordinarii; quia jus ipsum dat transeundi potestatem, si episcopus neget, text. clar. can. *Due sunt,* 19 q. 2. et c. *Licet.* 18. *de Regularib.*

23. *Neque tunc est necesse petere licentiam ab episcopo.* — Quinimo non esse necesse, ut clericus beneficiarius religionem ingressurus petat licentiam ab episcopo, docet Innocentius in cit. c. *Licet de Regularib.* his verbis: « Clericus autem potest transire ad religionem non petita licentia, etiamsi contradicatur can. *Due sunt,* 19. q. 2. Crederemus tamen, quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima Ecclesia gravem sustineret jacturam. » Consentit Abbas Panormitan. in cit. c. *Licet.* n. 14. *de Regularib.* Et hujus ratio esse potest: quia in cit. can. *Due sunt,* 19. q. 2, clericis libera datur facultas intrandi religionem, nulla facta mentione petendæ necessario licentiæ ab episcopo; neque hujusmodi necessitas ullo alio jure habetur imposita. Accedit quod in cit. c. *Licet de Regularib.* hujusmodi licentiam esse petendam asserente, ex professo sit sermo de religiosis, aliam actiorem religionem ingredi cupientibus. Nam hi, ob emissum votum obedientiæ, tenentur petere dictam licentiam sui prælati: « Ne bonum obedientiæ contemnere videantur: » prout subjungit textus ibidem. Atqui hæc ratio cessat in clerico sæculari utpote obedientiam non vovente, ad instar religiosorum; ergo.

24. *Bene tamen consultum; et cur?* — In praxi tamen omnino consultum est petere licentiam sui ordinarii, simulque supplicare pro concedendo idoneo vicario, qui tempore sui novitiatus beneficium administret. Idque partim ex eo, ne talis clericus superbire, ac bonum obedientiæ contemnere videatur, quam suo ordinario, non quidem vovit, adhuc tamen promisit; partim ne ex suo clandestino discessu præhabita Ecclesia damnum patiat, sed huic auctoritate ordinarii op-

portune provideri valeat. Accedit, quod juxta Innocentium, et Abbatem, loc. cit. n. 14. (ubi priorem suam doctrinam hoc modo limitat, et alios, si Ecclesia ex tali ingressu clerici in religionem graviter læderetur, iste foret revocandus, arg. c. *Admonet.* 4. h. t. et can. *Si quis vero,* 7. q. 1.

25. *Bene tamen consultum; et cur?* — Atque hoc ipsum per quam caute practicatur, ne alioquin clericus beneficiarius, religionem ingressurus, ante susceptum habitum religiosum quoquo modo videri possit, priori suo beneficio tacite, vel expresse renuntiasse: sicque ad illud, si forsitan tempore novitiatus mutato animo religionem desereret, aut ex causa dimitteretur, amplius redire non valeat; et per consequens imposterum præhabito beneficio, suæque congrua sustentatione inde habita destituatur, arg. c. *Ex transmissa,* 3. h. t. ac notat Abbas. ibid. n. 5. et Layman n. 1. et 3. ac alii.

26. *Beneficium ingredientis religionem, an possit alteri conferri?* — Nec obstat c. *Beneficium.* 4. *de Regularib.* in 6. ubi dicitur beneficium ingredientis religionem idcirco non vacare, nec posse alteri conferri tempore sui novitiatus, illis verbis: « Beneficium illius, qui religionem ingreditur, non est infra probationis annum alicui conferendum: nisi ad id ipsius accedat assensus, etc. Sed interim eidem beneficio per alium deserviri debet, assignata sibi congrua de ipsius proventibus portione. » Resp. enim illud capitulum procedere, quando nullus alius actus intercessit, ex quo consurgit voluntas resignandi tacite, vel expresse priori beneficio: secus ubi quis eidem tacite vel expresse renuntiavit: quia tunc non potest repetere suum beneficium, arg. cit. c. *Ex transmissa,* h. t. et docet Abbas, ibid. n. 5. hac ratione dicta jura concordans. Quod ut melius intelligatur,

27. *Renuntiatio beneficii num comprehendatur sub decreto concilii Tridentini, sess. 25. cap. XVI de Regularibus?* — Quæritur IV. Utrum renuntiatio beneficii ecclesiastici comprehendatur sub decreto concilii Tridentini, sess. 25 cap. XVI. *de Regularibus?* Ubi sciendum, quod dictum concilium ibidem quoad novitios regulares statuerit in hæc verba: « Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia episcopi, sive ejus vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi

secuta professione: aliter vero facta, etiamsi eam hujus favoris expressa renuntiatione, etiam jurata, sit irrita, et nullius effectus; » quæritur, inquam, utrum sub hoc decreto comprehendatur renuntiatio beneficii ecclesiastici; adeo, ut sit invalida, nisi fiat servata forma dicti decreti, puta, intra duos menses ante professionem, et hujusmodi?

28. *Ante ingressum religionis potest quis renuntiare beneficio suo.* — Resp. I. Ante ingressum religionis, seu ante susceptionem habitus religiosi, valide clericus renuntiare potest beneficio præfato, etiamsi illud resignet intuitu ingressus religionis; dummodo aliunde nihil obstet, juxta dicenda § 3. n. 45. et seqq. Ita Nicol. Garcias, part. XI. *de Beneficiis*, cap. ix, 15, allegans plures declarationes sacræ Congregationis concilii Trident. Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* allegat. 99, n. 19; Flamin. Parisius, *de Resignat. benefic.* lib. III, quæst. 13, n. 1 et 9, atque absolute esse tenendum de quacumque renuntiatione, vel donatione, ante ingressum religionis facta tradit Fagnanus in c. *Statuimus*, n. 42. *de Regularib.*, et Aloys. Riccius, part. III in *Praxi renuntiation.* resolut. 353, quidquid contradicat Navarrus, consil. 81 et 82. *de Regularib.* cum nonnullis aliis, qui censent, talem beneficii renuntiationem fieri in fraudem concilii, sicque non esse admittendam; præsertim, ubi clericus non habet aliunde, unde vivere possit, si forsitan postea ex religione exiret, aut dimitteretur. Verum de hoc ultimo casu data conclusio non loquitur: nam expresse in ea additur: « Dummodo aliunde nihil obstet: » generaliter autem nequit clericus resignare beneficium, nisi aliunde habeat, unde sustentetur, juxta dicenda n. 46. Et præmissa hac declaratione,

29. *Id probatur.* — Probatur conclusio ex eo: quia citatum decretum concilii Tridentini loquitur tantum « de Regularibus et monialibus novitiis, » prout liquet ex præfixa rubrica, atque integro contextu: atqui novitius nequit dici, qui nondum re ipsa suscepit habitum regularem, prout indicat idem concilium, loc. cit. cap. xv; Ergo, sicut olim quis poterat renuntiare beneficio suo, cit. c. *Beneficium. de Regularib.* in 6, ita potest etiam hodie ante susceptum habitum religionis probationis. Et quod dictum decretum concilii Tridentini (quod veluti exorbitans a jure communi, atque inducens nullitatem actus, sicque penale, debet potius restringi, quam extendi) sibi locum non vendicat in do-

nationibus, et renuntiationibus factis ante susceptum habitum probationis; sæpius a sacra congregatione fuisse declaratum, testatur Garcias, cit. n. 15. et Fagnanus, ubi supra, n. 47, imo etiam additio ad dictum consil. 81 Navarri.

30. *Non autem post susceptum habitum religionis, nisi servata forma citati decreti Tridentini.* — Resp. II. Nihilominus renuntiatio beneficii post susceptum habitum religionis comprehenditur sub præfato decreto concilii Tridentini; ac proinde clericus novitius de facto nequit valide renuntiare beneficium ecclesiasticum non servata forma citati decreti. Ita Suarez, tom. III, *de Relig.* lib. V, cap. xvi, num. 12; Sanchez, lib. VII. in *Decalog.* c. v. n. 38; Emman. Rodericus, tom. I. *Quest. regul.* q. 32, art. 2; Miranda. in *Manual.*, prælat. tom. I. q. 23, art. 5; Sperellus. decis. 16. *Fori ecclesiast.* n. 49, citans alios, et subjungens, ita pluries sacram congregationem declarasse, quamvis oppositum teneat Garcias, cit. part. XI, cap. ix, n. 12 et seqq. asserens se non vidisse, nec invenisse talem declarationem; cujus etiam opinioni libenter se assentiri, ait Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episc.* alleg. 90, n. 19.

31. *Et hujus ratio.* — Ratio conclusionis est: quia imprimis concilium Trident. loc. cit. loquitur generaliter de quacumque renuntiatione, ibi: « Nulla quoque renuntiatio; » ergo etiam comprehendit renuntiationem beneficii ecclesiastici, utpote quæ est vera renuntiatio. Deinde ratio ita statuendi concilio præfato, hæc fuit: Ne videlicet novitius, temere suis bonis renuntians, postea vel invitus profiteri cogatur, dum non habet unde exiens e religione in sæculo sustentari valeat; vel ejectus e religione, postmodum necessariis vitæ sustentandæ careat. Atqui hæc ratio æque militat in renuntiatione beneficii: nam, cum ex hujus redditibus clericus beneficiarius sustentetur, eodem temere renuntiatio (si tempore novitiatus valida foret talis renuntiatio), vel clericus ille cogatur profiteri invitus; vel exiens, aut ejectus e religione, privatus existeret congrua sua clericali sustentatione; ergo.

32. *Solvuntur instantiæ.* — Unde non obstat, si dicatur cum Garcia, quod concilium Tridentinum loquatur dumtaxat de renuntiatione bonorum temporalium, quæ habet novitius; quale non est beneficium ecclesiasticum. Non obstat, inquam: quia imprimis concilium loquitur indistincte « Nulla quoque

renuntiatio. » Deinde, licet beneficium secundum se sit quid spirituale, tribuit tamen beneficiario jus ad percipiendos redditus temporales illius, atque ad hos suo modo ordinatur, ratione præstiti spiritualis servitii; ut c. *Cum secundum*, 16, *de Præbend.* cum similibus. Unde subintrat ratio ejusdem concilii jam allegata.

33. *Solvuntur instantiæ.* — Dices. Renuntiatio beneficii, et ipsius collatio, non debet esse in pendenti, c. *Actus legitimi*, 50, *de Reg. juris*, in 6. Atqui ea foret talis, si deberet fieri juxta formam in concilio Tridentino præscriptam; quia non secuta professione, renuntiatio illa beneficii non intelligeretur effectum suum sortiri; ergo. Resp. neg. min. Nam quia conditio, quæ de jure inest, non facit actum conditionatum, arg. L. 3. ff. *de Legatis*, l. et l. *Conditiones*, ff. *de Condit. et demonstrat.* Hinc talis renuntiatio beneficii nequam potest dici conditionata, sed absoluta: haud obstante, quod ejus effectus, jure sic disponente, suspendatur, seu differatur in eventum professionis secuturæ; prout a simili testamentum non censetur esse pendens, seu conditionatum ex eo, quod non habeat effectum ante mortem testatoris. Multo minus hinc sequitur, quod collatio beneficii sit pendens; nam beneficium clerici religionem ingressi, non est intra annum probationis alicui conferendum, d. c. *Beneficium*, 4, *de Regularib.* in 6; eo autem finito non nisi absolute confertur. (ADNOTATIO XL)

§ II.

DE CAUSIS RENUNTIATIONIS BENEFICIORUM,
ET AN POENITERE LICEAT?

34. *Ad renuntiationem beneficii requiritur justa causa.* — Quæritur I. Ex quibus causis renuntiationes beneficiorum fieri possint? Ubi supponendum cum communi, ad renuntiationem beneficii requiri justam et legitimam causam; alioquin enim superiore eam admittere non tenetur, neque debet. Nam si quisque pro suo arbitratu posset quodlibet beneficium relinquere, talis libertas in maximum detrimentum Ecclesiarum cederet, aufugientibus per renuntiationem pastoribus, si viderent lupum venientem, seu tribulationem instantem. Quo supposito,

35. *Sex sunt causæ resignandi episcopatum.* — Resp. I. Sex sunt causæ, ob quas episcopus post sui confirmationem potest petere, et

Papa consuevit concedere licentiam cedendi, seu resignandi episcopatum; atque hæc enumerantur in c. *Nisi cum pridem*, 10. h. t. I. *Conscientia criminis*: non quidem cujuslibet, sed illius dumtaxat, quod post actam poenitentiam impedit executionem officii. II. *Imbecillitas corporis*, per quam quis impotens redditur ad exequendum officium pastorale. III. *Defectus scientiæ*, etiam competentis. IV. *Malitia plebis*, ob quam interdum cogitur prælatus ab ipsius regimine declinare. V. *Grave scandalum*, quod aliter sedari non potest. Et tandem. VI. *Irregularitas personæ*. Nam, quia quælibet harum sex causarum præstat impedimentum procurandæ salutis in subditis, quod oritur vel ex parte episcopi, ob hujus crimen, imbecillitatem, inscitiam, aut irregularitatem; vel ex parte subditorum, ob horum odium, vel scandalum: merito illas solet Papa admittere pro resignatione episcopi, cum impendant finem principalem ipsius, prout amplius deducitur in c. *Nisi cum pridem*, atque extant vulgati versiculi ibidem in Summario allegati.

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis.

Quem mala plebs odit, dans scandala: cedere possit.

36. *Quæ pariter sufficiunt ad renuntiationem inferiorum beneficiorum.* — Resp. II. Causæ illæ, quæ sufficiunt ad renuntiandum episcopatum sufficiunt pariter ad resignandum inferiores dignitates, et beneficia curata. Ita communis. Ratio est: quia longe difficilius admittitur renuntiatio episcopi, quam inferioris beneficiarii; nam episcopus, veluti verus sponsus, arctiori vinculo spirituali astringitur suæ Ecclesiæ, quam alius inferior prælatus, aut beneficiarius; ergo causa, quæ sufficit ad renuntiandum episcopatum, multo magis erit sufficiens ad resignandum inferioris beneficium.

37. *Refertur circa has Constitutio beati Pii V. Quanta Ecclesiæ.* — In specie autem, et prout declaravit beatus Pius V, in sua constitut. 58, quæ incipit, *Quanta Ecclesiæ* (et refertur, tomo II *Bullarii Romani* § 3), eorum resignationes admitti possunt qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel vitiiati, aut crimini obnoxii, censurisque ecclesiasticis irretiti, nequeunt, vel non debent Ecclesiæ, seu beneficio inservire. Item, qui ad aliud beneficium promoventur; aut religionem ingressuri, vel matrimonium contracturi sunt, si statim illud re ipsa exequan-